

Quod *methodum* attinet, patet ex divisione, eam fore synthetica, quum ex conceptu universalissimo veritatis ad veritates minus universales procedamus. Haec enim *methodus* aptior nobis ad docendum videtur quam *analytica* (cfr. supra p. 89), quae deberet criticam incipere exponendo primum fontes veritatis, praesertim sensationes, ut inde tandem ad conceptum veritatis et certitudinis perveniat, quemadmodum hanc originem, evolutionem, perfectionem cognitionis nostrae p. 12—17 breviter descriptimus. — Quoad *suppositum* vero criticae advertendum est, duplum errorem esse vitandum, sc. eorum, qui, abiecta certitudine naturali, omnia falsa vel dubia ac proinde probanda esse putant, immo ipsam facultatem cognoscendi veracem esse primum ostendendum arbitrantur, ut Cartesius, Kant et sceptici veteres; alii vero naturali quodam instinctu vera esse putant, quae vel incerta sunt vel saltem probari possunt, et dogmatici vocantur, sicuti schola scotica Reidii multique Pantheistae et Idealistae. Sed media quadam via nobis est incedendum, quam sana philosophia Aristotelis et Scholasticorum tenuit, quae naturalem quandam veritatem et certitudinem cognitionis nostrae statuit, inquirens, quibus nitatur fundamentis et quoque sese extendat.

Critica tanquam pars specialis philosophiae a veteribus non habebatur, sed passim quaestiones hue pertinentes tractabantur. Nostris vero temporibus, praesertim theoriis Kantianis de natura cognitionis¹⁾ ubique divulgatis, hanc disquisitionem specialem etiam nos instituimus oportet. Neque immerito critica a multis habetur quasi fundamentum et philosophiae et omnium scientiarum, si quidem cognitionis nostrae tum originem tum valorem obiectivum investigat et vindicat.²⁾

Pars prima: De veritate in genere.

Liber primus: De natura et existentia veritatis et certitudinis.

Caput I: De natura veritatis.

1. *Notio veritatis*: „Veritas est adaequatio rei et intellectus“. Haec generalis S. Thomae³⁾ definitio ab omnibus fere admittitur. Per se quidem *probari nequit*; (quemadmodum enim existentia veritatis

¹⁾ „Kritik der reinen Vernunft“, „Kritik der praktischen Vernunft“, „Kritik der Urteilskraft“, vide Stöckl, Gesch. der Philosophie 1888, II, 220 sq.
²⁾ Cfr. Al. Schmid, Erkenntnistheorie, 1890, II, 180 sq. ³⁾ Cfr. S. Theol. I qu. 16 totam. Plato, Cratylus 385 b; Arist. metaph. 9, 10; porro Willmann, Gesch. d. Idealismus I, § 36, 3; II, § 69, 4; III, § 106, 2.

in genere per se ostendi non potest, cum in omni probatione supponatur, sic etiam ipsa notio veri demonstrari nequit; qui enim eam vellet probare, certo aliquid veri, i. e. conforme cum re ipsa ostendere niteretur, ac proinde et existentiam et notionem veri supponeret. (Sicut igitur sine luce oculus nil videre, sine aëre homo respirare nequit, sic etiam intellectus, nisi lucem veritatis admittit, nil omnino intelligere, nihil concipere potest.)

Neque vero indiget haec notio ulla probatione; ex se enim evidens est et ex omnium consensu constat, veritatem esse in conformitate inter intellectum et rem. (Immo quicunque veritatem existere vel eam esse in conformatioне quadam inter intellectum et rem cognitam negare vel in dubium vocare vellet, eo ipso iam implicite eam concederet; nam vel iure negaret sive dubitaret, et tunc esset hoc saltem verum; vel immixto, et tunc eius negatio vel dubium esset stultum ac proinde omnino negligendum. Haec quaestio infra thes. X—XII magis explicabitur.)

Neque sufficit ad rationem veritatis sola subiectiva conformatio-
mentis cum semetipsa, ut Kant,¹⁾ Höffding²⁾ aliique Idealistae opinantur: secus enim nulla posset fieri obiectiva cognitio neque certi-
tudo de rerum existentia (et deberet affirmari, vel omnes ideas
nobis esse innatas, quod infra refutabimus in lib. I, c. II, § 1 Ideologiae;
vel nos cognoscendo producere non solum actum, sed etiam obiectum
omnis cognitionis, i. e. nos universum mundum cognoscendo efficere,
quod revera Fichte et Hegel inde deduxerunt, quo nil absurdius est
nihilque magis repugnans conscientiae nostrae et persuasioni humanae.
Omnibus enim persuasum est, nos cognoscendo dependere ab obiec-
tis, non producere ea; mundum visibilem, montes, homines existere,
2 + 2 esse 4, etiamsi nos hoc non actu cognoscamus, immo licet ex-
presse hoc negaremus.³⁾ Plura de hac re vide infra in thesi II et
XVII, porro in Ideologia lib. I, c. II, § 2 et 3)

2. *Species veritatis*: Triplex veritas distinguitur secundum modum, quo res et intellectus conformantur: a) *Ontologica* (metaphysica, realis), si res est conformis intellectui, a quo pendet tanquam exemplari et a quo mensuratur. Si vero non est conformis intellectui, vocatur ontologice *falsa*. Sic res naturales sunt ontologice verae, quia conformes sunt divino intellectui, a quo non possunt deficere.

¹⁾ Kant apud Willmann, l. c. III, 509 censem, quaestionem illam: quid est veritas, esse absurdam; aliis tamen locis e. g. Kritik der reinen Vernunft (edit. Meyers Volksbücher) p. 196 et 236 nobiscum sentit, veritatem esse conformatatem cognitionis cum obiectis. ²⁾ Psychologie in Umrissen; 1887, p. 274 sq. „Die Wahrheit ist die innere Harmonie und Konsequenz aller Gedanken und Erfahrungen“; confundit igitur logicam et criticam. ³⁾ Cfr. E. Fischer, Grundfragen der Erkenntnistheorie 1887, p. 383 sq.

Res vero arte humana factae possunt vocari *verae*, si conformes sunt exemplari in mente artificis, *falsae*, si ab eo discrepant; sic aurum verum vel falsum, amicus verus vel falsus vocatur, in quantum respondet conceptui auri vel amici, quem habemus. b) *Logica*, si intellectus est conformis rei, a qua eius cognitio dependet et mensuratur; si vero intellectus non est conformis, adest *falsitas logica*. c) *Moralis*, si verba sunt conformia menti; unde sermo, in quantum exprimit veritatem logicam, habet rationem veritatis logicae *analogicam*; in quantum vero est signum opera humana institutum ad cognitionem exprimendam, habet rationem veritatis vel falsitatis ontologicae. Nobis non sermo est nisi de veritate logica. — Iam vero tria in hac notione inveniuntur elementa: *subiectum cognoscens*, *objecum cognitum*, *relatio vel nexus inter utrumque*, qui consistit in ipso actu cognoscendi et constituit rationem *formalem* veritatis. Haec tria elementa ad naturam cognitionis veritatisque logicae melius investigandam diligentias nobis consideranda sunt.)

§ 1. Relatio inter subiectum et objecum sive veritas formaliter considerata.

Thesis I: Veritas formaliter considerata consistit in specie quidam intentionalis obiecti eaque spirituali, ab intellectu et obiecto simul producta.¹⁾

St. qu. 1^o. Species sive imago vocatur *similitudo* quaedam cum aliqua re *dependenter* ab ipsa et ad eam *imitandam* facta. Veritas igitur formaliter considerata vocatur species, quia consistit in quadam assimilatione intellectus cum obiecto sub huius influxu ad ipsum cognoscendum facta. Vocatur species intentionalis, quia cognoscendo efficitur, non mere mechanice, ut imago in speculo, vel physiologic, ut e. g. illa imago in retina oculi; porro est spiritualis, i. e. neque in se neque ratione subiecti, in quo est, organica. Agitur in thesi directe de nostra cognitione intellectuali; sed similis species, utique *sensitiva*, etiam in cognitione sensitiva habetur.

2^o Distinguitur species *impressa* et *expressa* (cfr. supra p. 12 sq.) Illa consistit in quadam determinatione facultatis cognoscentis per obiectum, quae determinatio potest vocari actus cognitionis „in fieri“

¹⁾ Cfr. de hac quaestione Alamannum († 1634, editio Parisiis 1885—1894 a Felchlin et Behringer instituta): „Summa philosophica“ II, qu. 60 et 95—100. Hoc opus eximum III voluminibus totam s. Thomae philosophiam ex eius operibus collectam eiusdem, verbis fideliter refert. Porro vide quoad hanc thesim Willmann, Gesch. des Idealismus, II, § 71, 2 sq. Deinde ea, quae in dialectica p. 11 sq. de origine cognitionis nostrae breviter dicta sunt, in memoriam revocentur; totus tandem liber I Idealogiae hanc quaestionem illustrabit.

i. e. in suo principio estque causa ipsius efficiens, sed inadaequata. Species autem expressa est ipse actus cognoscendi „in facto esse“ i. e. eius terminus physicus in cognoscente cum relatione ad obiectum repraesentandum. Haec igitur species expressa est causa formalis actus cognoscendi eumque intrinsece constituit ut actum cognoscendi individuum, concretum, et est causa memoriae in mente remanens. In hac igitur specie expressa formalem rationem veritatis collocamus, in quantum adaequate spectatur i. e. tum physice ut est terminus realis actus in cognoscente huncque perficit, tum logice, ut obiectum repraesentat; priore modo est fundamentum reale relationis, in qua cognitio consistit, altero modo constituit ipsam hanc relationem, quemadmodum imago in speculo vel in photographia est realis modificatio ipsius speculi sive photographiae, simul autem respicit obiectum repraesentandum. Differt autem species expressa ab eiusmodi imagine materiali: a) quia non est obiectum immediatum cognitionis, sed medium formale, quo res repraesentata directe percipitur (cfr. supra p. 30 sq.¹⁾); b) quia est in anima simplici neque modo materiali repraesentat, sed est causa subiectiva cognoscendi. Vocatur igitur solum *analogice* ad imagines materiales species sive imago, quia est causa cognoscendi. — Quod hic de specie expressa intellectuali dicimus, valet etiam pro specie expressa sensitiva.

3^o Adversantur: a) qui negant necessitatem speciei intelligibilis, quia cum aliquibus Nominalistis (Durando † 1332, Occam † 1347) aliisque²⁾ putant, mentem per se solam cum obiectis coniungi; immo censem, speciem illam cognitionem nostram reddere subiectivam ac proinde dubiam;³⁾ b) qui exaggerant speciem illam, vel statuentes mentem sive conscientiam physicę egredi ad obiectum percipiendum et cum ipso identificari, ut Schuppe vult,⁴⁾ vel imaginem physicam obiecti mentem ingredi ipsamque informare, mente passive se habente, quod teste Aristotele, veteres Atomistae et Materialistae docebant,⁵⁾ vel mentem sua activitate obiecta ipsa producere somniantur, quae erat sententia Fichte, Hegel, Schopenhauer aliorumque Idealistarum.

I. *Veritas formalis consistit in specie expressa sive imagine obiecti intentionalis.*

(*Prob. 1. Ex conceptu veritatis:* Veritas est adaequatio aliqua inter mentem cognoscentem et rem cognitam. Haec autem adae-

¹⁾ Hoc modo difficultates contra speciem expressam solvuntur, quae ab aliquibus proponuntur; cfr. Philos. Jahrbuch, 1900, p. 454. ²⁾ Cfr. Al. Schmid, Erkenntnistheorie, 1890, I, 221; II, 119 sq. ³⁾ Philos. Jhrb. 1894, p. 416; 1897, p. 449. ⁴⁾ Cfr. J. Müller, System d. Philosophie, p. 35 sq. ⁵⁾ Cfr. S. Thomam, S. Theol. I qu. 85, a. 2. Simile aliquid docet v. Kirchmann: „Der Inhalt des Seienden fliesst durch die Wahrnehmung aus dem Gegenstande in das Wissen über“. (Cfr. E. Fischer, Erkenntnistheorie, p. 325 sq.)

quatio consistit aut in identitate aut in aliqua similitudine. *Atqui* non postest admitti identitas sive physica sive metaphysica inter mentem cognoscentem et rem cognitam; hoc enim a) repugnat naturae conceptum nostrorum, qui realiter differunt a rebus cognitis; lapides enim et montes et stellae et homines etc., quos cognoscimus, certe non physice idem sunt cum conceptibus, immo cum mente nostra; esset enim Pantheismus idealisticus Fichtei, Hegelii etc.; b) repugnat conscientiae nostrae, quae testatur, nos cognoscendo non res producere, sed supponere, resque existero, etiamsi nulla earum sit cognitio. *Ergo* illa adaequatio debet consistere in aliqua similitudine mentis cognoscentis cum re cognita. Iam vero haec similitudo non potest esse physica, siquidem mens nostra immaterialis hoc modo non potest assimilari rebus materialibus, quae tamen sunt obiectum primarium cognitionis nostrae intellectualis. *Ergo* debet esse similitudo logica sive intentionalis, quae sit causa subiectiva cognitionis nostrae.¹⁾ — Hoc argumentum brevius sic proponi potest:

2. *Ex natura cognitionis*: Obiectum cognitionis debet esse aliquo modo in mente cognoscente; alioquin non cognosceretur. *Atqui* non est in mente per realitatem suam physicam;²⁾ neque enim in mente ingredi neque mens ex se egredi potest teste conscientia. *Ergo* debet obiectum in mente inesse modo intentionalis, i. e. secundum aliquam suam similitudinem, quae sit causa cognoscendi.

3. *Ex indifferentia intellectus nostri*: Intellectus noster intrinsece indifferens est ad hoc vel illud obiectum cognoscendum ac proinde indiget aliqua determinatione ex parte obiecti; secus enim semper cognoscere et quaecunque vellet, cognoscere posset, quod et conscientiae nostrae et experientiae repugnat. *Atqui* obiectum non potest intellectum alio modo determinare atque est in se ipso; non autem determinat intellectum per physicam suam praesentiam in mente ipsa. *Ergo* requiritur saltem eius praesentia intentionalis i. e. species aliquá, quae vices gerit ipsius obiecti et est causa cognitionis, quemadmodum imago illa minutissima in retina oculi per radios lucis effecta est causa subiectiva sensationis, quamvis ipsa haec imago nullo modo sit obiectum cognitionis sensitivae, sed res per illam imaginem repraesentata.

4. *Ex memoria*: Constat nos recordari priorum cognitionum; debet igitur adesse causa huius recordationis in mente nostra. *Atqui* haec causa non est ipse actus elapsus, qui idem numero nullo modo remanet nec revertitur unquam teste conscientia; neque est obiectum ipsum, quod in recordatione non est praesens. *Ergo* causa

¹⁾ Cfr. S. Augustinum de Trinitate XI, 9; IX, 18. ²⁾ Cfr. Aristot. de anima III, 8: Οὐ γὰρ ὁ λίθος ἐν τῇ φυσιῇ, ἀλλὰ τὸ εἶδος.

recordationis debet esse effectus aliquis in mente productus per actum praeteritum, qui habet relationem similitudinis ad eum, quemadmodum praesertim in phantasia, instrumento praecipuo memoriae, appetet.

5. *Ex conceptu imaginis*: Imago vocatur res ad similitudinem alterius rei dependenter ab ea et ad eam imitandam facta; e. g. photographia aliqua. *Atqui* appetet ex argumentis praecedentibus: a) veritatem formalem consistere in aliqua assimilatione mentis ad rem perceptam; b) haec similitudo orta est dependenter a re percepta, siquidem haec vel per se ipsam vel per sensus mentem nostram determinat; c) haec assimilatio facta est ad obiectum imitandum, quia res et mens nostra ex ordine naturae ad invicem ita sunt ordinatae, ut mutua activitate res a nobis cognoscantur. Mens enim nostra quasi speculum universi constituta est, in quo totus mundus quasi reflectatur, ut a nobis cognoscatur et inde nostra perfectio habeatur. *Ergo* nexus ille inter mentem cognoscentem et rem cognitam sive veritas formalis consistit in specie expressa subiective et obiective spectata.)

II. *Haec species est in se spiritualis*:

(*Prob.* 1. *Ex causa eius efficiente*: Species illa rei cognoscendae producitur ab intellectu ipso ut a causa efficiente; nam ubi intellectus ipse deficit vel non attendit, nulla est cognitio, licet adsit obiectum eiusque determinatio. *Atqui* intellectus, ut postea in psychologia probabimus, est in se spiritualis, neque operatur nisi immanenter i. e. in se ipso. *Ergo* etiam species illa intentionalis obiecti est in se spiritualis.)

2. *Ex eius subiecto inhaesionis*: Species illa intentionalis est accidens inhaerens principio cognoscendi i. e. intellectui ipsi, eumque perficit. *Atqui* intellectui ut facultati immateriali nihil materiale inhaerere neque quidquam nisi spirituale eum perficere potest. *Ergo* species illa obiecti intentionalis est in se spiritualis. — Ita etiam imago materialis e. g. in speculo, in aqua, in marmore naturam et conformatiōnem subiecti materialis, in quo est, sequitur (vide imaginem in speculo concavo vel convexo vel recto.) Unde illud axioma veterum: Quidquid cognoscitur, cognoscitur per modum cognoscentis.

III. *Species intentionalis simul ab intellectu et obiecto producitur*.¹⁾

Prob. Ex eius natura: Species intentionalis producitur: 1º ab intellectu; est enim a) in se spiritualis; b) est menti intrinseca,

¹⁾ Cfr. praeclarum libellum: Pesch, Weltphaenomen, Laach. St. 1881, n. 28; porro Liberatore, die Erkenntnistheorie, Mainz 1861, p. 8 sq.

unde ab ea sola effici potest; c) testatur experientia, eam non fieri, nisi intellectus adsit et attendat, obiecto praesente et determinante.

2º ab obiecto, quia a) mens ex se indifferens est ad cognoscendum et indiget determinatione ex parte obiecti; b) non quodcumque obiectum repraesentat, sed obiectum eam determinans; c) testatur experientia, obiecto vel sensu aliquo deficiente neque ideam illius obiecti haberi.

Comparant igitur mentem tabulae rasa, in qua res describatur;¹⁾ a speculo, in quo reflectatur; cerae, cui imago sigilli imprimatur, illaque determinatio ex parte obiecti vocatur *species intelligibilis impressa*.

3º Producitur *simul* ab intellectu et obiecto: a) ab intellectu, ut a causa efficiente; b) ab obiecto, ut a causa exemplari; c) *simul*, quia actus cognoscendi est in se simplex; ideo totus est ab utraque causa, sed non totaliter: ut realitas physica totus est ab intellectu; ut repraesentatio certi obiecti totus est ex determinatione obiecti; ad quod imitandum et in se exprimendum mens nostra ut artifex actum cognoscendi elicit. Propterea species expressa similis est *intellectui* ut causae suaे efficienti, *obiecto* autem ut causae materiali et exemplari, quia effectus causae proportionatus esse debet.²⁾

Coroll. I. Quum intellectus noster intensive et extensive omnia cognoscere possit, cognoscendo quodam modo fit omnia, non physice, sed intentioinaliter se rei et rem sibi assimilans, ut bene notat Aristoteles,³⁾ ita ut res inferiores natura sua modo digniore, res superiores: Deus, angeli, modo minus digno in ipso existant quam in se ipsis.

II. Iam diximus, hanc speciem expressam non esse obiectum immediatum cognitionis nostrae⁴⁾, sed medium quo mens cum obiecto coniungitur, quasi pontem, quo mens nostra sphærā subiectivam transcendat, non physice, sed modo intentionaliter. Neque haec species intelligibilis cum imagine materiali confundenda est, cum qua solum analogice convenit, in quantum est causa cognoscendi, non obiectiva, ut imago in speculo, sed subiectiva, quemadmodum e. g. imago rei visibilis in retina oculi effecta.

Obi: 1. Veritas est obiectum cognitionis. Atqui species illa expressa non est obiectum cognitionis. Ergo veritas non consistit in specie illa expressa.

Dist.: maiorem et consequens: veritas obiectiva — conc; veritas formalis — nego.

2. Atqui neque veritas formalis consistit in specie expressa, sed solum est in iudicio.⁵⁾ *Dist.:* est in iudicio plene et perfecte — conc; est in solo iudicio — nego. Immo etiam iudicium supponit in mente speciem expressam ut *subiectivam* rationem cognoscendi.

¹⁾ S. Thom. I, qu. 84, art. 3 etc. ²⁾ De tota hac quaestione vide plura infra Idealogia, lib. I, c. 3 sq., ubi de abstractione sermo erit. ³⁾ De anima III, 4 et 8. Immerito igitur Günther propter hanc doctrinam Patres et Scholasticos accusat Pantheismi, quem ipse vix effugit; cfr. Kleutgen, Philosophie der Vorzeit I, n. 310 sq. ⁴⁾ Hoc immerito Aristoteli tribuit E. Fischer, Erkenntnistheorie p. 302. ⁵⁾ Remer, Summa praelectionum philos. scholasticae. I p. 145.

3. Atqui species illa expressa deberet esse obiectum cognitionis, siquidem est causa cognoscendi; *dist.:* est causa subiectiva — conc.; obiectiva — nego.

4. Atqui illa species aliquid subiectivi adderet obiecto ac proinde eius cognitionem incertam redderet; *dist.:* illa species obiecti notas non recte exhibet — nego; alio modo rem exhibit atque est in se i. e. abstracto et universalis, subdist.: ita ut ille modus rebus ipsis tribuatur — nego; ita ut per reflexionem mentis cognoscatur et soli menti tribuatur — conc. Intellectus noster a natura per se ordinatus est ad obiecta recte cognoscenda; quod nisi supponatur, cessat omnis certitudo. Non igitur mens nostra sese habet ut speculum concavum vel convexum obiecta non recte reflectens, sed ut speculum rectum, nisi scepticismum universalem proclaims.

5. Atqui illa species videtur arbitrarie statui neque ulli subest experientiae; *dist.:* non est obiectum immediatum cognitionis, quaemadmodum imago in speculo — conc.; non probatur eius necessitas mediante conclusione, ut supra — nego.

6. Atqui saltem obiectum, praesertim materiale, non potest concurrere ad illam speciem in se spiritualem, intellectui intrinsecam producendam; *dist.:* ut causa efficiens — conc.; ut causa materialis simulque exemplaris — nego. — Sed de hac quaestione infra plura dicentur, quando relatio sensationis ad abstractionem primitivam investigatur.

§ 2. Obiectum cognitionis nostrae sive veritas obiective considerata.

1. *Modi cognitionis:* Cognitio nostra est vel *sensitiva* vel *intellectualis*; illa organis materialibus vel internis vel externis perficitur, haec vero nullo indiget organo, sed a solo intellectu procedit. Nobis potissimum de cognitione intellectuali tractandum est. Haec autem iterum est vel *directa* vel *reflexa*. Directa cognitio obiectum reprezentat *ut est in se*, et fit per ideam directam, *reflexa* rem exhibit *sicut est in mente*, et fit per ideam reflexam. Reflexio iterum esse potest: a) *psychologica*, quae cognitionem tanquam affectionem animae subiectivam considerat; b) *ontologica*, quae rem ipsam reprezentat considerat eamque in suas notas dividit vel cum aliis comparat et novas inde efformat ideas vel arbitrarie vel discursive factias; c) *logica* tandem reflexio, quae modum considerat, quo res in sola mente existit, i. e. modum abstractum, universalem cum metaphysica distinctione notarum, quae a parte rei sunt identificatae, e. g. animal rationale = homo (cfr. Dialect. p. 18 et 25 sq.).

Hoc loco igitur loquimur de cognitione *directa*, quae fit perceptione immediata (experiencia sensitiva et intellectuali, interna vel externa), deinde secundario etiam de cognitione mediata per reflexionem ontologicam, quae non statuit nisi quod cognitione immediata apprehensum fuerit. Non autem sermo est hoc loco de cognitione

vel psychologice vel logice mere reflexiva, quae non spectat, nisi subiectivum modum nostrum cognoscendi.

2. *Obiectum cognitionis*: Obiectum duplex considerari potest: *materiale* et *formale*; *materiale* est res, sicut in se existit cum omnibus qualitatibus, quae eam constituant vel afficiunt, e. g. domus haec, lapis iste; *formale* est illa ratio obiectiva, sub qua facultas cognoscendi obiectum materiale hic et nunc percipit; non enim adaequatam rerum cognitionem habemus; sic oculus domum vel lapidem non apprehendit, nisi sub ratione coloris et quantitatis. (Illa ratio obiectiva est id, quod primo et per se percipitur et cui mens assimilatur; per ipsam obiectum materiale, in quo est, menti praesens fit. Iam vero obiectum illud formale iterum dupli modo considerari potest: a) sicut est *in re ipsa cognita* cum aliis qualitatibus non perceptis physice coniunctum et concretum, i. e. modo concreto et individuali, e. g. color in rosa hac simul odorifera; rationalitas in homine individuo, e. g. Caesare; et sic vocatur obiectum formale *quod vel extrinsecum*; et est terminus *obiectivus cognitionis*; b) sicut est *in actu cognitionis*, i. e. modo *abstracto et universali*, e. g. color rosae in oculo sine eius odore, animalitas et rationalitas hominis sine eius individualitate in mente cognoscente; et sic vocatur obiectum formale *quo vel intrinsecum*, et est modus, quo cognoscitur.¹⁾) Iam vero affirmamus, obiectum formale *quod esse obiectum primum cognitionis directae*; obiectum autem formale *quo esse obiectum secundarium in cognitione directa*, et implicite vel indirecte simul cum obiecto proprio percipi; non vero esse obiectum primarium et directum, nisi in cognitione psychologice vel logice reflexa.

3. *Relatio inter obiectum et subiectum cognitionis*: Haec relatio, ut in thesi praecedenti ostendimus, constituitur per speciem expressam, in qua consistit ratio formalis cognitionis. Iam vero species expressa potest considerari *physice et logice*. Physice est realitas aliqua accidentalis, qua mens cognoscendo afficitur et perficitur; logice est ipsa rei repraesentatio. Haec autem iterum dupli modo consideranda est: *subiective et obiective*. Subiective significat modum sc. abstractum et universalem, quo obiectum aliquod in mente cognoscente existit, obiective autem consistit in summa illa notarum ipsius rei, quibus res a nobis cognoscitur et quae comprehensionem conceptus constituunt. (Cfr. dialecticam p. 15 sq.) — Quaeritur nunc, quid sit obiectum directum cognitionis nostrae intellectualis: utrum species expressae physice vel subiective consideratae, an obiective consideratae i. e. notae ipsius rei a nobis distinctae.)

¹⁾ Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 85, a. 2. Idem sentit s. Thomas de sensatione: „Species, quae est in visu, non est id quod videtur, sed quo visus videt; quod autem videtur, est color, qui est in corpore“ S. Thom. de anima, III, lect. 9. ²⁾ Sufficiat unius testimonium pro multis: „Tatsache ist doch, dass wir aus unserm Bewusstsein, jeder aus dem seinigen, nicht hinaus können . . . dass auch die Dinge an sich nicht geschaut, sondern nur als Bewusstseinsobjekte gedacht werden können.“ (Laas, Idealist. u. positiv. Erkenntnislehre, Berlin 1884; vide Pesch, II, 69. Similiter Wundt, Logik, I, 426. ³⁾ Vide Kleutgen, Philos. der Vorzeit num. 308—310; 321 sq. contra Hermesium-Kantianum.

Thesis II. Obiectum primum cognitionis nostrae directae non sunt species intelligibiles (conceptus nostri), sed res conceptibus expressae.

St. qu. (1^o) In thesi igitur affirmatur obiectum primum et immediatum cognitionis nostrae directae non esse speciem vel impressam vel expressam saltem subiective spectatam (obiectum formale *quo*), sed esse ipsam rationem obiectivam specie illa expressam seu obiectum *formale quod*. Si vero agitur de cognitione psychologice vel logice reflexa, tunc species potest esse obiectum primarium et directum cognitionis. — Thesis per se non respicit nisi actus intellectus, sed idem dicendum est de cognitione sensitiva.)

2^o) In omni actu cognoscendi praeter obiectum, quod est terminus obiectivus immediatus cognitionis, adest simul perceptio eiusdem actus ut est nostra cognitio ac proinde etiam ut subiectiva affectio nostra apprehenditur in actu exercito; non autem est obiectum primarium, in quod actus tendit per se, sed secundarium, quod per accidens sive indirecte simul cum primario et directo cognoscitur, quae cognitio vocatur *conscientia*.¹⁾

3^o) Thesi nostrae adversantur veteres *Sophistae* duce Protagora neconon Sceptici putantes, nos non percipere immediate ipsa obiecta, sed nostras subiectivas affectiones; quibus omnes consentiunt Idealistae, (praesertim Hume, Berkeley, Kant et plerique moderni, qui illos secuti sunt.²⁾) Unde quaerunt medium vel pontem, quo ex subiecto cognoscente fiat transitus ad obiecta a nobis distincta, fingentes caecum quendam instinctum, vel conclusionem aliquam vi principii causalitatis. Putant igitur, nos reflexiva cognitione, i. e. mediate pervenire ad obiecta cognoscenda, directe vero et immediate nos affectiones nostras, seu conceptus (species intelligibiles) percipere.³⁾

1. Prob. *Ex conceptu veritatis*: Veritas consistit in conformitate inter mentem cognoscentem et rem cognitam. Atqui si obiectum immediatum cognitionis esset aliquid subiectivi sc. species expressa, veritas non consistaret in conformitate inter mentem cognoscentem et rem cognitam, sed potius inter conformitatem mentis cum semetipsa, ac proinde vel non esset nisi veritas formalis sive subiectiva, vel

¹⁾ Cfr. S. Theol. I, qu. 85, a. 2. Idem sentit s. Thomas de sensatione: „Species, quae est in visu, non est id quod videtur, sed quo visus videt; quod autem videtur, est color, qui est in corpore“ S. Thom. de anima, III, lect. 9. ²⁾ Sufficiat unius testimonium pro multis: „Tatsache ist doch, dass wir aus unserem Bewusstsein, jeder aus dem seinigen, nicht hinaus können . . . dass auch die Dinge an sich nicht geschaut, sondern nur als Bewusstseinsobjekte gedacht werden können.“ (Laas, Idealist. u. positiv. Erkenntnislehre, Berlin 1884; vide Pesch, II, 69. Similiter Wundt, Logik, I, 426. ³⁾ Vide Kleutgen, Philos. der Vorzeit num. 308—310; 321 sq. contra Hermesium-Kantianum.

mens cognoscendo omnia obiecta produceret. Iam vero prior sententia destrueret omnem veritatem obiectivam; altera hominem faceret fontem omnis realitatis et Pantheismum induceret subiectivum; utraque autem repugnat testimonio conscientiae, quae testatur: a) nos cognoscendo non affectiones nostras, sed obiecta a nobis distincta percipere; b) obiecta cognitionis i. e. veritatem obiectivam a nobis non dependere, sed nos cognoscendo ab ipsa dependere, ita ut ab obiectis ad assensum cogamur, velimus nolimus, e. g. $2 + 2 = 4$; mundus existit etc.; haec igitur necessitas est obiectiva, non solum subiectiva; c) ac proinde nobis persuasum est, omnibus hominibus idem sentiendum esse, licet indole, aetate, natione, dispositione subiectiva valde inter se discrepent.¹⁾ Ergo obiectum immediatum cognitionis nostrae directae debet esse res ipsa sive aliquae eius notae, non aliqua affectio nostra subiectiva.²⁾

(2. *Ex obiecto scientiae*: Obiectum scientiae est aliquid reale a nobis distinctum, e. g. mathematica, historia etc. Ridiculum enim esset dicere, nostras cogitationes se habere sicut hypothenusam ad cathedas in triangulo rectangulo, vel se attrahere sicut corpora proportione directa massarum et inversa quadrati distantiarum. Atqui obiectum scientiae est obiectum conceptuum, i. e. specierum expressarum; scientia enim est cognitio rerum per causas, sive ex rationibus universalibus, sed leges naturae et universales rationes formaliter non possunt esse nisi in conceptibus nostris; nam res ipsae omnes sunt singulares. Iam vero illi conceptus sunt aut primitivi aut factitii; si primum, patet nos conceptibus rerum ipsarum rationes reales primo et immediate percipere; sin alterum, illi conceptus factitii ex aliis primitivis obiectivis sunt derivati. Ergo conceptus nostri exhibent rationes obiective reales.)

3. *Ex absurdis*: Si species intelligibles essent obiectum primum cognitionis: (a) non esset veritas *absoluta*, obiectiva; nam *omnia vera essent, quae et quia et in quantum a nobis cognoscuntur*. Veritas enim consistit in conformitate mentis cum re percepta. Atqui si ipsa affectio mentis est obiectum primum, cui mens conformatur, non vero res ab ipsa distincta: a) mens semper erit conformis sua affectio.

¹⁾ Hoc sensu s. Augustinus (*confess. XII, 25*): „Si ambo videmus verum esse quod dicis, et ambo videmus verum esse quod dico, ubi quae id videamus? Neque ego utique in te, nec tu in me, sed ambo in ipsa, quae supra mentes nostras est, incommutabili veritate.“ ²⁾ Cfr. Trendelenburg, *Logische Untersuchungen*, ² I, 16—129, optime refutans logicam mere formalem Kantii et Metaphysicam Hegelii, quamvis ipse suis principiis non constans periculum idealismi non satis effugerit modo subiectivo ex motibus internis subiectivis et sensationem et cognitionem intellectualem explicans (cfr. E. Fischer, *Erkenntnistheorie*, p. 350 sq.; Ulrici, *System der Logik*, 1852, p. 204 sq.).

tioni; nam haec est formalis ratio actus cognoscendi eumque intrinsece constituit, ita ut repugnet, eam non esse, qualis actu est. Unde omnis actus cognoscendi verus esset, *quia* est et *in quantum* est hic vel ille actus; quidquid enim sentimus, vere sentimus. ³⁾ Qui-libet homo, immo et bestiae¹⁾, cognoscendo efficerent veritatem eiusque essent mensura, ut olim Protagoras sophista, a Socrate ad absurdum deductus, docebat²⁾; ³⁾ neque esset veritas independens a nostra cognitione, sed veritas omnis, e. g. $2 + 2 = 4$, penderet a nostra existentia et cognitione. Ergo nulla falsitas posset esse in cognitione nostra, quod et experientiae nostrae et consensui hominum repugnat.

b) *Immo nulla* esset veritas; nam *contradictoria possent simul esse vera et falsa*. (Si obiectum primum cognitionis essent species intelligibles, i. e. subiectiva nostra affectio, haec esset simul mensura et regula veritatis; nam veritas est conformitas cognitionis cum obiecto cognito. Atqui) constat, eandem rem saepe diverso, immo modo contrario afficere homines eorumque cognitionem determinare, e. g. mel palato sano dulce, aegroto amarum appetit; Deus homini honesto bonus et amabilis, inhonesto durus et odio dignus esse videatur. Ergo si affectio subiectiva est obiectum, cui mens primo conformatur, de eadem re opposita simul vera vel falsa essent; ac proinde nulla esset certitudo, nulla posset esse scientia; homo fieret mensura omnis veritatis, et omnia simul vera et falsa esse possent.³⁾

(c) Et si obiectiva esset, tamen ¹⁾ *Nullum esset medium, quo ad cognitionem veritatis obiectivae perveniremus*. Nullum est enim medium cognoscendi nisi ideae sive species rerum expressae; neque enim mens physice ex se egredi vel rem cognitam in se physice recipere potest. Atqui si species expressae seu ideae non referunt nisi affectionem subiectivam, non attingimus rem ipsam, sicut est in se. Ergo nulla est cognitio veritatis obiectivae.

²⁾ *Nullum esset criterium veritatis certae et obiectivae*. Nam criterium nos certos reddere debet, cognitionem nostram rei conformem esse. Atqui si cognitionis nostrae obiectum immediatum sunt conceptus nostri subiectivi, non res ipsa, nunquam certi esse possumus, mentem nostram rei a nobis distinctae conformem esse; nam haec conformitas non cognosceretur nisi per aliam ideam. Iam vero

¹⁾ Sic Schopenhauer vestigiis Kantii et Hegelii insistens non dubitat affirmare, oculum primi infusori videndo produxisse mundum visibilem. ²⁾ Theaetetus, 16, 161 sq. ³⁾ Unde reicienda est illa quam Goethe habet veritatis opinio: „Kenne ich mein Verhältnis zu mir selbst und zur Aussenwelt, so heisse ich es: Wahrheit; und so kann jeder eine eigene Wahrheit haben, und es ist doch immer dieselbige . . . Ist man hiervon recht gründlich überzeugt, so wird man niemals kontrovertieren.“ Pesch, Log. II, 59 Nota.